

Cap. X. Rubrica de electione camarariorum.

Ordinamus quod in electione camarariorum comunis procedatur in hunc modum: videlicet quod quindecim diebus ante exitum veteris camararii fiat maius conscilium, in quo quidem conscillio dentur sex breves pro sex camarariis eligendis et quicunque habuerit brevem eligat et eligere teneatur suum camararium meliorem quem crediderit sacramento pro utilitate comunis Tergesti, de etate triginta annorum vel ultra. ¶ Et cum fuerint electi omnes predicti sex camararii, tunc balotentur in maiori conscillio ad piscides et ballotas singuli, videlicet unus contra alium, et ultimus qui optinebit in dicto maiori conscillio sit firmus camararius comunis per quatuor menses sequentes. ¶ Et quicunque fuerit confirmatus camararius renuntiare non possit dictum offitium camararii, sub pena libr. par. decem, et habeat pro suo salario sold. decem gross. ¶ Et quicunque fuerit electus et confirmatus camararius, etiam si non fuerit de maiori conscillio, sit firmus camararius et sit de maiori conscillio durante dicto offitio et habeat brevem et ballotas ut alii conscilliarii maioris conscillii.

Cap. XI. Rubrica de forma sacramenti camarariorum. R.ca.

Iurabit camararius comunis Tergesti sequimen potestatis iudicum vel rectorum civitatis Tergesti, conscilium dare et credentiam tenere legaliter cum fuerit requisitus, et bona comunis fideliter conservare et manutenere, et ad presentiam potestatis vel vicarii loco potestatis, iudicum vel rectorum venire quam citius poterit bona fide cum audiet tintinnabulum vel ei fuerit intimatum, nec stare extra civitatem Tergesti ultra unam diem sine licentia potestatis iudicum vel rectorum. ¶ Et omnes massaricias comunis in scriptis recipere et de ipsis massariciis et omnibus aliis rebus mobi // libus que essent in palatio comunis facere inventarium octo diebus post ipsius introitum, etiam pena decem libr. par., quod inventarium scribatur